7

COMPENDIVM
VITAE, VIRTVTVM, ET MIRACVLORVM,

Necnon Actorum in causa Beatificationis, & Canonizationis

B. LVDOVICI BERTRANDI
Ordinis S. Dominici.

Ex Secretaria Congregationis Sac. Rituum.



ROMAE,
Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ 1671.

Superiorum permissu.



LORVERVNT ab antiquis tẽporibus Regularium Ordines, qui viros, tàm vitæ sanctitate, quàm doctrinę præstantia, spectatissimos iugiter Ecclesiæ pepererunt, vt cæteris mortalibus, veluti lucidissimæ faces, ad viam Domini prælucerent, quorum ministerio fouerentur frigida, rigarentur arida, rigida flecterentur; ex his fortissimorum Christi Militum seminarijs summi prodiere Pontifices, præstantissimi Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi; ex hac denique scaturigine limpidissimi fontes, qui à Diuini verbi sitientibus haurirentur, & ingentia flumina, quæ latissimos Ecclesiæ campos vbertim irrigando peruaderent, emanarunt: Elucent, vt cæteros Ordines prætereamus, in Dominicana Familia tot illa virorum lumina; tot Catholicæ fidei propugnatores acerrimi, inuictissimi Martyres, diuini verbi præcones indefessi, nulla non sanctitatis fama prædicandi, longum foret huius Ordinis commilitones doctrina, Martyrio, & sanctitate præclaros recensere, quorum triumphos integra testantur volumina, suspicit Orbis terrarum, & vniuersalis decantat Ecclesia. Sed, pergendo ad Beatum Ludouicum Bertrandum eiusdem Dominicanæ Regulæ professorem, in quo ardentissima in Deum, & proximum charitate, & in cæteris virtutibus excellentia tam mirificè claruit, vt omnium linguis, ac laudibus iure meritissimo celebretur.

Natus est prædictus Beatus Ludouicus Bertrandus ex pijs, Catholicis, purisquè parentibus Ioanne Ludouico Bertrando, & Ioanna Anna de los Exarches, anno 1526. die prima Ianuarij in Ciuitate Valentiæ, quæ in Tarraconensi Hispania ad ostia Turia amnis, in plano sita est inter Tarraconam, & Carthaginem nouam, antiqua Regiaque specie & amplitudine spectabilis, nobilium frequentia celebris, mater duorum Potificum Calixti Tertij, & Alexandri Sexti, & iuxtà Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum baptizatus fuit in Parrochiali Ecclesia Sancti Stephani, in qua fertur Sanctum Vincentium Ferrerium ablutum fuisse; Inde piè, & honestè à parentibus educatus, & bonis moribus imbutus, quò magis ab infantia recedebat, eò se ardẽtiorem ergà præcepta parentum, & res diuinas ostendebat, Gymnasium frequentabat, litteris diu, noctuquè incumbens, otium, tanquàm voluptatum parentem, & bonarum artium æruginem, vitabat: egressus verò Infantiæ fines, cùm naturale rationis iudicium magis inciperet effulgere, Sacramentum Eucharistiæ cum animi demissione sæpè sumebat, tenerum corpusculum Pœnitentiæ aculeis affligebat, & in Prædicatorum Ecclesia sæpissimè orationi vacans, morabatur, Hospitalia frequentabat, & pauperibus inseruiebat.

Cùm

Cùm esset annorum decem & octo, & mensium septem, eligens sibi
vitam austeriorem, in clarissimam Prædicatorum Religionem die
16. Augusti anni 1544. à Ven. Fr. Ioanne Michone admissus est; an-
no 1545. solemnia vota obedientiæ, castitatis, & paupertatis emi-
sit; sanctissimam vitam semper egit, edoctus ab Agathone, qui Iu-
ueni sciscitanti, quomodò cum fratribus habitaret, respondit, ob-
serua præ omnibus hoc, vt qualis primo die ingrederis apud ipsos,
talis reliquum tempus peragas, & cum quiete adimplebis peregri-
nationem tuam.

Sacros Ordines, peracto nouitiatu, suscepit, & ad Presbyteratus or-
dinem anno 1547. promotus est, non longè post Magister Noui-
tiorum in Conuentu Valentino creatus est, quod munus per plu-
res annos exercuit, postmodùm Vicarius Conuentus de Albayda,
& Prior Sancti Honuphrij, & tandem Conuentui Prædicatorum
Valentiæ præfuit, in quibus muneribus, si quid erat agendum,
fratribus exemplo præibat.

In oratione mētali quotidie quatuor integras horas insumebat, & post
prandium aliam dimidiam horam septem Beatissimæ Virginis gau-
dia contemplabatur, recolebat passionē Domini Nostri, & magnam
ex eà delectationem hauriebat, peculiari sanctissimum Sacramen-
tum animi submissione venerabatur, rem sacram deuotè, & cum
laclirymis faciebat, & si fortè celebrare non poterat, Sanctissima
Eucharistia se reficiebat, fuit etiam nedùm in sæculo, sed etiam in
Religione sanctæ simplicitatis, & magnæ prudentiæ: erat insuper
valdè humilis; eius obedientia, quam Prælatis exhibebat, erat adeò
humilis, vt cæteros ad ità parendum excitaret: & licet maximè de-
ditus esset contēplationi, & propterea mundana negotia abhorreret,
attamen si superior aliquid præciperet circà officia & munera Reli-
gionis, magna cum lætitia & hilaritate exercebat, omniaque in
Dei amorem, & gloriam dirigebat: aliquandò prohibitus à Vicario
Conuentus sanctissimam Synaxim sumere, tam patientèr & beni-
gnè præceptum adimpleuit, vt ne verbum quidem proferret, sciens,
mandatum superioris ità esse suscipiendum, ac si Deus ipse præci-
peret, nisi certum sit Deo displicere.

Illi tam grata & iucunda erat paupertas, vt paterna quæcumquè erant
bona reliquerit, vt ingrederetur Religionem, in qua etiam fuit a-
mitator paupertatis; Perfectus ad Indiam Occidentalem, pedestre iter
arripuit, cum quibusdam operis libros tali missioni necessarios &
quosdam linteolos deferebat: Ibat verò cum eo Socius, nomine
Hieronymus, qui librum Bibliorum, & illius Breuiarium, & nihil
prætereà gestabat: cùm verò ad ipsos Indos peruenisset, de loco ad
locum pedester pariter ambulabat, vt Dei verbum gentibus euan-
gelizaret.

 A pue-

A puero etiam & in Religione castitatem semper amauit, adeò etiam erat verecundus, vt aduersa valetudine detentus, curari se non permitteret propter honestatem. In concionibus, & priuatis locutionibus ardenti spiritu hortabatur ad castitatem seruandam, eiusque manus & vestes tali odorum fragrantia redolebant, vt qualis esset eius castitas, liquidò appareret. Cùm die festo in Ecclesia Villæ de Albayda populo Dei verbum prædicaret, publica hominum peccata, vt sermonis materia suggerebat, acritèr reprehendit, inter audientes aderat non infimi nominis Eques, qui reprehensionem tanquam sibi factam adscribens, suum famulum eadem die transmisit ad Domum, ad quam Beatus, sermone perfecto, se trasferebat, qui cum ibi Beatum Ludouicum reperisset supradicti Equitis nomine exposuit, vt renocaret ea, quæ publicè dixerat in suggesto ni potius mortem exposceret, cui magna cum benignitate & mansuetudine ait, Tuo Domino refer felicitèr mihi accidere si hac de caussa moriar, & Martyrium subeam, quare die sequenti Beatum Bertrandum ad Monasterium proficiscentem inuasit idem Eques, tormentum bellicum manuale præ manibus habens, & cum ante faciem prædicti Beati, equo insidens, constitisset, sclopum dirigens tunc ait, inique Frater audes reprahendere me? & cùm vellet sclopum exonerare; mirabile dictu, repentè sclopus conuersus est in Crucifixum, quo viso proiecit se Eques ex equo, & ad pedes Beati Ludouici, veniam petens, supplex accessit. His peractis Beatus Ludouicus prohibuit eidem Socio, illius pectus Cruce signans, ne alicui quæ viderat, patefaceret, cum triginta anni prius essent elapsuri antequam aliquis factum huiusmodi ab eo scisciraturus esset, prout euenit.

Fidem in exteris Regionibus cum magno vitæ discrimine propagauit, ex quibus cum incolumis redijsset, inter alia retulit, se vltrà quindecim millia hominum ad veram fidem addixisse, Crucem illis adorandam exhibuisse; In loco, in quo Idololatræ, & Ethnici arculam cum Idolo venerabantur, ipse Bertrandus eam accepit, & secum asportauit, qua de re commota Infidelium turba, necem eidem inferre tentabant, sed fortes Christi pugiles, ad fidem paulò ante conuersi, in vnum conuenerunt, & Beatum Ludouicum cum arcula extrà Ciuitatem progressi ab insultibus defenderunt, & horum aliqui cum ipso Beato ad oppidum quatuor leucis distans profecti sunt, vbi cùm post aliquod tempus constitissent, fuit Beato Ludouico appositum in ciatho venenum, quod impauidus, spem suam in Domino collocando, assumpsit, propter quod ex naribus, & ore quosdam vermes, seù paruulos serpentes eiecit, quarè cum Beatus aliquantùm doloribus angeretur, quinquè cohortes Genti-

lium

lium eleuatis vexillis superuenerunt, & arculam per vim iterùm arrepti sunt; quod prædictus Beatus acerrimè tulit, itaut si ipse tunc non fuisset veneno turbatus, passus potius fuisset pro fidei defensione sibi necem inferri, quàm arculam prædictam cum Idolo per vim auferri: Dùm verò persecutionem patiebatur strenuus Christi miles, quasi Abraham Eremita, tanquàm verus adamas impertérritus, & immobilis perdurabat, nec tot tribulationibus cedebat, imò ardentior ibat cùm lingua cęderetur, lapidaretur conuitijs, cùm fame & siti laboraret, & in omnibus aduersis, quæ sibi accidebant, nunquàm ad iracundiam prouocatus, nunquàm ad indignationem commotus est, nunquàm pusillanimitate defecit, nunquam tędio fatigatus est, sed cum omnia aspera pateretur, magis ac magis amor eius in eos, & Charitas augebatur, modò admonebat, modò blandiebatur, modò verbis suauissimis leniebat, & quidem seniores veluti Patres rogabat, iuuenes vt Fratres, adolescentes, vt filios, in infirmitatibus, & varijs doloribus, quibus cruciabatur, summa cum animi constantia illos tolerabat, proferens hæc verba: *Hic vre, hic seca, vt in æternum parcas.*

Dùm sermones haberet ad populum, audientes ad pœnitentiam hortabatur, & ad melioris vitæ frugē reuocabat, erudiebat rebus omnibus destitutos pueros, quos in ædibus Sancti Vincentij Ferrerij Ciuitas Valentina colligebat: assiduè confessionis Sacramentum administrabat, opem afflictis ferebat, itaut illos ad Deo gratias agendum impelleret: In quotidianis verò sermonibus de maceratione loquebatur, & tradebat, iuxtà cuiuslibet orandi statum, modum, & certum diei spacium orationi partiebatur: Dùm verò Prioris officio fungebatur in Castris, adolescentes, aliosque militaribus religionis armis assuetos hortabatur, vt Deo totis viribus inseruirent, suis vnusquisque rebus incumberet, & dùm animi tantisper ab assiduis curis relaxabantur, iuxtà Religionis morem, dicere solitus erat, *Fratres, nonnè, nonnè diligamus Deum*, quæ verba repetebat, quià benè norat, quod nemo repentè fit Sanctus, sed in bona conuersatione animi vnusquisquè inchoat, vt ad magna perueniat;

Et aliquandò cùm mulier quædam, quæ sibi solita erat confiteri, cessasset à confessione, ad illius domum Beatus se contulit, in qua cum hominem dimisisset ibi tunc existentem, cum dicta muliere clàm agere solitum, in singultus, & lachrymas magno cum dolore prorupit, & elapso aliquo temporis spacio, lugeo, ait mulieri, tua peccata, en verbera, en cicatrices humeris, & pectori impressas recenti sanguine profluentes propter tuum scelus, quod in hoc eodem cubiculo perpetrasti; Factum est, vt virgis, & disciplina me cæderim,

rim,

rim, quo te à peccati lapſu reuocarem; hinc mulieri lachrymæ, hinc dolor admiſſi ſceleris, hinc ſuſpiria ex imo corde trahebat, tunc Beatus Ludouicus, breui, ſed magni ponderis, & ex intimis prodeunte præcordijs ſermone ſolatur mulierem, mentem in Creatotorem erige, qui te ſimili crimine non permittet futuris temporibus coinquinari, humanum eſt in peccatum delabi, ſed reſurgere glorioſum: ob quæ dicta mulier nunquàm in ſimilia peccata reincidit.

Pauperum neceſſitatibus præſtò erat, & eleemoſynas in Religione diſtribuens, nihil fratribus ſubtrahebat, cùm Dei prouidentia Fratrum indigentijs abundantèr ſubueniret, mortuos ſepeliebat, adeò vt vitam propriam, charitate ſuadente, in diſcrimen adduceret; Nàm graſſante peſte, cùm homo quidam propè Monaſterium exiſtens, cui ipſe præerat, mortuus cecidiſſet, iuſſit illum ſepeliri, & ipſe primus manus appoſuit, vt ſepulturæ traderetur.

Honeſta Mulier ex Illuſtri familia, tàm graui neceſſitate premebatur, vt ipſa nihil diebus integris, aut parum comederet, vt filijs ſuis, qui plures erant, ſilueſtres betas cum modico olei, & quatuor denarios panis inter omnes partiretur: hanc ægeſtatem, licet mulier nemini communicaſſet, nè quis in eam, vtpotè formoſam & gratam aſpectui, auſus eſſet impudentèr irruere; Acceſſit tamen ad illius domum altera mulier, nomine Bayarria, & magnam pecuniæ quantitatem ei porrexit, qua viſa honeſta matrona ad Bayarriam conuerſa quæſiuit, num prædicta pecunia proueniret ex aliqua reſtitutione, quod cùm negaſſet, ſubiunxit, huiuſmodi pecuniam, ſi eleemoſynæ loco mittebatur, non ab alio prouenire, quàm à Beato Ludouico, cui ſua ægeſtas, & indigentia fuerat reuelata: tunc dicta Bayarria rem omnem aperiens, pecuniam à prædicto Beato mitti confeſſa eſt, qui tamen illi ſilentium iniunxerat, nè factum cæteris aperiretur.

Adhùc paruulus, non ignorans, Dæmonis verſutiam, crebris orationibus, & ieiunijs deuinciri, nunquàm in lecto, ſed humi, vel tabulis cubabat, noctes ducebat inſomnes, orationibus abſtinentiam adiungebat, rarò ientaculum ſumebat, poſtquam Religionem ingreſſus fuit ſuper ſcamno cubabat, & loco puluinaris duobus libris vtebatur, lectulum aptè componebat, vt ex hoc cæteri intelligerent, ſe in illo quieuiſſe, licet contrarium ex linteaminibus dignoſcebatur; parùm comedebat, & ſæpius ieiunabat, ſciens, decorem Monachi eſſe pallorem, vitam, & vultum ſemper præſetulit tanquàm hominis valdè pœnitentis, magnæ abſtinentiæ, & aſperitatis, partē obſonij in mēſa vna cum alijs comedebat, itaut vix ad hominis ſubſtentationem ſufficeret, hancq. viuendi normam coſtodiebat dùm

mu-

munere prædicationis fungeretur, & sæpius, dum concionaretur à delicatis piscibus sese abstinebat, asserens, indecorum esse, minusque conueniens, quod ille, qui alijs pœnitentiam annunciat, huiusmodi cibos comedat, ieiunium adeò frequentabat, vt ob id stomachi debilitate aliquandò in morbum inciderit: His non contentus, cibum, qui aliquid gustui suauitatis afferre poterat, re aliqua apposita, vel ablata regulariter deprauabat, sal in cibis nō apponebat, aloem, fructicem amarissimā, ferè semper immiscebat, asserēs (vt rem celaret) ad suam salutem conferre, & adeò flagellis cędebat corpus suum, vt non solùm eius disciplina, sed parietes conspersi sanguine viderentur; Vlterius, vt sui corporis sensus penitùs edomaret, & nihil intentatum pro eorum deliberatione relinqueret collum cuiusdam scrofulis, & tabe plenum, vt fœtor sufferri non posset, lingere cępit, & putredinem omnem absorbuit.

His, & innumerabilibus virtutibus, & meritis plenus Beatus Ludouicus, infirma semper vsus valetudine, cum in morbum incidisset, sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis munitus, ad cęlestem beatarum mētium patriam laborum præmia percepturus, migrauit annō à partu Virginis 1581. septimo Idus Octobris, ætatis suæ quinquagesimo quinto, & eadem hora, qua expirauit, lux ingens, fulguris instar, ex eius ore egressa est, totum cubiculum illuminans, & suauis desuper beatorum spirituum harmonia audita est, cuius corpus feretro impositum, proprijs humeris Procerum Ciuitatis Valentiæ à Sacrario ad Ecclesiam delatum fuit: Populi deuotionem mirabilibus signis comitatus est Deus, vt prædicti Beati Ludouici sanctitatem ostenderet, statim enim cœpit Miraculis clarescere, quorum fama per vicinas, & remotas Regiones diffusa, omnes gentes ad sanctitatem ipsius venerandam excitauit; Mox processus confecti fuerunt, & ad Vrbem transmissi, alijsque de nouo editis authoritate Pontificia; & reliquis, causam respicientibus, discussis, Congregatio Sacrorum Rituum censuit, constare de illorum validitate, deque fama sanctitatis, virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus in gradu heroico: Item concludentes probationes habere insignium Miraculorum, videlicèt extinctionis incendij prægrandis cum habitantium ingenti terrore, signo Crucis dicti Beati; sanationis Sperantiæ Assentiæ ab exitiali struma in collo afflictæ cum fœtore horrendo ex vlceribus manante, circumstantibus, & ipsimet infirmæ intolerabili, facto signo Crucis à dicto Beato super parte affecta, & eius lingua linita, statim incolumis visa est: Splendoris in cadauere prædicti Beati, itaùt circumstantes, haud secus in limpidissimo speculo, proprias effigies in lucentibus eiusdem carnibus intuerentur: Fragrantiæ odoris, qui è toto corpore illius exhalans gratissimo

mo

mo adstantium oblectamento per vicina quæque loca diffundebatur: Filiæ Vrsulæ Soler liberatæ à porrigine capitis, radicibus capillorum euulsis: Cuiusdam puellæ oculis orbatę, quæ ad fontem loci de Ruzafa, è quo Beatus bibere solitus erat, lotis oculis pristinum oculorum vsum recuperauit: Concessionis lactis in mammis Andreæ Abreù, completa nouena ad sepulchrum dicti Beati: Sanationis vlcerosi abscessus, quo laborabat Isabella Ioanna per multos annos, appræhenso feretro, in quo iacuerat corpus dicti Beati: Persimilis sanationis Isabellæ Gerbæ à febri, dissenteria, & hernia, lota aqua prædicti loci de Ruzafa: liberationis à paralysi Annæ Mõfort, ore contorto per multum tempus, aqua loci de Ruzafa ebibita, & inuocato auxilio prædicti Beati: Sanationis Hieronymæ Cappelli ab hernia intestinali, & Vincentiæ Morell à contractione crurum & ab vlceribus pessimis, ità vt incedere nullatenùs valeret: Multiplicationis panis in loco nuncupato de Museros: Sanationis Ioannis de Pedeuera vtroque crure fracto, & Isabellæ Vincentiæ Pujades ab acuta, & mortifera febri, & à medicis conclamatæ, quarè Paulus V. d. Beatũ in Beatorum Cathalogo adscripsit, & peractis alijs processibus, approbatisq; alijs Miraculis, nẽpè præseruationis illius corporis à corruptione, quamuis in loco alluionibus obnoxio, non exterratis (aromatibus & balsamo inconditi) intestinis adeò ad corruptionem procliuibus, humò traditi, integri tamen articulati, & tractabilis reperti an. 1661. Præseruationis à morte seù instantaneæ sanationis Aloysij Vincentij Montesinos, febri valida, vermibus, dissenteria, & vomitu diuturnis, costulis iam stomacho connexis, & syncope correpti: Et Gesualdæ Gil de Ramirez quadriẽnis humi proiectæ à sex mulis raptãtibus currum carbone onustum ingentis ponderis, & duabus rotis compressæ, adeò vt clauorum vestigia suprà illius caput, collum, & humeros impressa cernerentur. Subitæ tandem sanationis Bartholomęi Christophori Dominguez hernia intestinali, & adeò deformi laborantis, vt scrotum, cùm genuflecteret, humum attingeret, fœtorem emittentem, itaut abdomina corrupta, & scrotum vlceribus erosum putrescerent; comprobatisque octodecim Miraculis approbatis ante indultam Beatificationem, editum fuit decretum à Clemente IX. tutò posse deueniri ad solemnem prædicti Beati Canonizationem, pro qua obtinenda instant Leopoldus Primus Romanorum Rex in Imperatorem electus, & Carolus Secundus Rex Catholicus. Et hęc sunt.